



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Sectio II. Vnio non est formaliter & immediatè facta in natura.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.  
q. 3. a. 2.

§. 9. Ostendam à §. 22. non esse necessariam specialem vnionem ad relationes, vt aliquod predicatum sit illis commune: quod clarè monstrabo. Ad argumentum, distinguo Maiorem: vbi substantia non est realiter idem cum relatione, aut vltimo completiuo personæ, non sufficit vnio ad substantiam: vt sit etiam ad personam, concedo Maiorem: ob quod in humanis accidentia multa naturis vniantur, quin suppositis: vbi autem subsistere, & completere vltimo naturam nõ distinguuntur nisi solà ratione, nego Maiorem: quia quod vni conuenit à parte rei, conuenit alteri. item in Deo quando non distinguuntur virtualiter. Distinguo Minorem: non constituit realiter, & sine distinctione virtuali, nego: non constituit ratione nostra, concedo Minorem, & nego consequentiam.

§. 10. Ad confirmationem ex §. 8. concedo ex ea vnione Durandi sequi, Patrem & Spiritum sanctum fuisse incarnatos. Quod in aliquo sensu sano esse admittendum, docet ipse Durandus in 3. dist. 1. q. 4. n. 7. sed quidem non sine graui absurdo.

## SECTIO II.

*Vnio non est immediatè formaliter facta in natura.*

### SUBSECTIO I.

*Nonnulla explicata.*

§. 11. **I**N natura possumus considerare conceptus tres, de quibus est controuersia, sintne ratione distincti: Primus est quidditatus Deo, etiam ratione nostra; qui vocatur *natura Dei*. Secundus est existentia Dei: Tertius substantia communis Dei. Huc tertium Durandus minime distinguit à primo etiam ratione nostra: quia censet Deum per substantiam & naturam habere modum existendi perfectum. Alij volunt eum esse à primo ratione distinctum: secundum verò non distingui à primo, censent omnes Theologi paucis exceptis.

§. 12. Hinc natae opiniones. Durandus in illis tribus fatetur vnionem immediatam, quos non distinguit. Capreolus eam negat in primo, & adstruit in secundo. P. Suarez negat possibilem esse vnionem in primo, & secundo; fatetur in tertio: negat tamen factam. Hac disputatione ago de vnione ad primum. Omnes autem sunt accipiendi de immediatione formali, seu virtuali: certum est enim vnionem cum Verbo esse immediatam realiter & identicè cum natura, à qua Verbum non distinguitur realiter: ac proinde non est reale medium inter vnionem & naturam Dei; sed tantum medium formale, seu virtuale.

§. 13. Dico igitur vnionem factam immediatè in hypostasi; non verò in natura immediatè formaliter; sed tantum materialiter, & quasi remotè, dum facta est immediatè & formaliter in hypostasi: quæ est idem cum natura. Ita censent omnes ferè Theologi, S. Thomas q. 3. a. 1. q. autem 2. a. 1. censet eam sententiam esse secundum fidem, quæ docet, vnionem non esse factam secundum essentiam, vel naturam. ab eadem est eadem q. 2. a. 2. cum autem asserit naturam diuinam esse vnitam humanæ, id ipse

explicat, dum vnita est hypostasi: ratione cuius natura diuina dicitur vniri materialiter, & quasi remotè. Ab eadem sententia sunt Capreol. in 3. d. 1. q. vnic. conclus. 4. & ad argumenta Durandi: quæ indicat satis S. Bonauent. in 3. d. 1. a. 1. q. 1. & 2. negans eam vnionem terminari ad aliquid nisi ad suppositum. consentiunt Scotus, Ricardus, Gabriel, & alij antiquiores: Caietan. in a. 3. sine aut sententiam Durandi esse somnium errore. hos nostri sequuntur. P. Valentia to. 3. disp. 1. q. 3. p. 1. vers. *Hæc tamen*, censet opinionem Durandi esse propè erroneam: P. Suarez disp. 12. sect. 2. vers. *Dico primò*, eam censet improbabilem: nec melius de ea sentit P. Vasquez disp. 26. c. 4. cæteri que recentes.

### SUBSECTIO II.

*Auctoritas Concilij Toletani.*

§. 14. **C**oncilium Toletanum VI. cap. 1. tom. 3. Concil. *Solum Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis (quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis); solus tamen accepit hominem in singularitate persona, non in vnitate diuina natura: in id, quod est proprium Filij, non quod commune Trinitatis.* Eadem verba repetuntur in Concilio etiam Toletano XI. in professione fidei longè ante finem. Vbi adstruitur vnio facta in proprietate Verbi, & negatur in aliquo communi: vbi expressè excludit opinionem Durandi dum asserit vnionem factam in eo dumtaxat quod proprium est.

§. 15. Rationem reddit Concilium idem his verbis: *Nam si vniam nati hominis, Dei alteram confecisset personam, tota Trinitas corpus assumpsisset: quia constat naturam Trinitatis esse, non personarum.* Sensus Concilij est, vnio facta est in personalitate, non in natura: alioquin tota Trinitas, cuius est illa natura, corpus assumpsisset. Verba tamen etsi ita coltruantur in noua & veteri excusatione Conciliorum, videntur mendo codicis vitiosa, deceptusque librariorum per compendiariorum characteres: qui pro *hominis natura*, scripsit *hominis nati*; quod non intererat Concilij; & pro *confudisset*, dixit *confecisset*; cum que illi hæc verba viderentur manca, his *Deiq; alteram*, adiecit *personam*, quo nihil probatur. Hunc errorem emendauit Garfias Loaysa Archiepiscopus Toletanus in sua collectione Conciliorum Hispaniæ, quam sic excudit: *Nam si naturam hominis, Deiq; alteram confudisset, tota Trinitas corpus assumpsisset.* quæ germanè reddunt nostrum sensum: confunderent enim naturas est vniam vniri alteri, vniam que resultat quæ diuina diceretur: alludens Concilium ad errorem Eutychetis relatū q. 2. a. 1. confundere enim, & separare siue distinguere opponuntur ex Symbolo Athanasij *Non confundentes personas, neque substantiam separantes.* Aliam lectionem huius Concilij ex Gothicis manuscriptis vide in P. Vasquez disp. 28. n. 3. Quod autem pro absurdo hæretico proiecit Concilium; vtraque vna amplectitur Durand. q. enim 4. n. 7. hanc propositionem *Pater in quantum Deus, est homo*, ait admitti posse sano modo: quia re-duplicat essentiam, quæ est incarnata: at dicit eam non esse admittendam. & quidem non potest feriori modo admitti, quàm cæteræ hæreses: nam sicut Pater simpliciter est omnipotens, licet non ratione proprietatis, sed naturæ; ita simpliciter esset homo,

homo, licet non ratione vnionis ad proprietatem, sed ad naturam. quod item dicam §. 26.

SUBSECTIO III.

Probatio ex Anselmo, & ratione.

§. 16. Eandem rationem reddit S. Anselmus c. 4. de Incarnatione: cum enim quidam hæreticus conaretur probare, tres personas esse tres Deos; aut, si vnus sunt Deus, omnes tres esse incarnatas; ait id fore verum, si vnio humanitatis facta esset in natura; quæ communis est. est autem falsum: quia vnio facta est non in natura communi, sed in persona, quæ communis non est. Verba Anselmi sunt multa, & elegantia.

§. 17. Probatur metaphysicè ea ratio: omne prædicatum conueniens absoluto per identitatem aut denominationem, non connotans relationem in ordine ad operationem, conuenit toti Trinitati: sed per te terminare naturam humanam in subsistentia est prædicatum conueniens absoluto sine connotatione relationis ad operationem: ergo conuenit toti Trinitati. Maior est principium fidei: omnia enim absoluta sunt communia: ea autem sunt peculiariora, quæ vel sunt personæ, vel eas connotant.

§. 18. Explico: natura est fœcunda ad generationem: fœcunditas connotat necessariò aliquid productiuum rei, ad quam est fœcunditas: communicatur enim natura termino producto: ob quod fœcunditas ad generationem connotat relationem paternitatis; vt ex fœcunditate & relatione constituitur principium generans, oppositum termino genito. Hoc prædicatum non est commune Trinitati; sed priuatum Patri: conuenit naturæ, prout in Patre; non verò secundum se in omni persona.

§. 19. At verò omnipotentia, immensitas, creare, conuenit absoluto sine connotatione personæ ad operationem. Quamuis enim natura & omnipotentia connotant relationes: at omnipotentia non connotat eas vt in ratione omnipotentis sit operatio ad intrinsecam; sed eas connotat vt complemeotum, vt quæuis natura connotat suum. Vnde licet tres personæ non sunt æquè fœcundæ ad intra; sunt æquè omnipotentes, immensæ atque creantes.

§. 20. Hinc fit omnes tres personas æquè esse subsistentes subsistentia communi, si datur: esse æquè perfectas in modo existendi in se sine dependentia.

§. 21. Sic argumentor: Omne prædicatum ad intra, & ad extra, conueniens Deo ratione omnipotentia, & subsistentia communi, est commune toti Trinitati: nec est magis proprium vnus personæ, quam aliarum: sed creare, & terminare naturam conuenit Deo ad extra ratione omnipotentia & subsistentia communi: ergo creare, & terminare humanitatem est commune æquè toti Trinitati. Maior est iam probata, de omnipotentia, & creante: nulla enim persona est magis propriè omnipotens, aut creans, quam alia. item de subsistentia in prædicato ad intrinsecam: omnes enim personæ sunt æquè subsistentes: ergo idem erit de terminatione ad extra. Probo consequentiam, quia prædicatum ad extra sequitur hac in parte prædicatum ad in-

trinsecam: vt sit commune extrinsecè; sicut illud in s. Thom. trinsecè: nec enim creatio ad extra conuenit æquè Trinitati, nisi quia ratio creandi & omnipotentia conuenit æquè ad intra. Hoc argumentum est etiam ad disp. 34. §. 106.

§. 22. Respondet Durandus, præter vnionem ad prædicatum commune requiri aliam ad personalitatem; alioquin non erit vnio hypostatica. Contrà: Vt hypostates tres sint æquè, verè & propriè creantes, non est opus vt creatio habeat specialem habitudinem ad personas distinctam ab habitudine ad omnipotentiam: ergo vt tres personæ sint terminantes humanitatem, non est opus speciali vnione ad illas distincta ab vnione ad subsistentiam absolutam. quia tres sunt subsistentes per identitatem cum subsistentia; vt sunt omnipotentes per identitatem cum omnipotentia. quæ identitas satis est ad communitatem prædicati ad extra.

§. 23. Aduerte, vnionem hypostaticam ex ea sententia Durandi, posse esse duplicem: aliam formaliter, aliam materialiter. formaliter illa vnio non esset hypostatica, nec terminata ad hypostasim ratione ipsius: sic creatio non est formaliter à personis, sed materialiter: quia non oritur à personis ratione alicuius proprietatis, sed alicuius prædicari communis. Vnde oritur creatio formaliter ab omnipotentia, non verò à relationibus: at personæ sunt verè & propriè creantes. ita non esset hæc vnio formaliter hypostatica; esset tamen realiter ad hypostasim: quia est ad commune idem cum hypostasi, non connotans operationem: vnio autem esset materialiter ad hypostates, ita vt omnes essent vnità, sicut sunt subsistentes.

§. 24. Ratio autem à priori est: quia quando ratio formalis alicuius prædicati est vnita per identitatem cum alia, vel per modum distinctum; quid conuenit illi rationi formali, conuenit ei cui est vnita per identitatem, aut formalem vnionem. Vt subiecto conuenit disgregare visum, quia est ei vnita ratio disgregandi: & animo conuenit amare, quia est idem realiter cum voluntate ratione amandi. Quæ enim sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se: etiam in Deo, exceptis prædicatis connotantibus relationem ad oppositionem.

§. 25. Item verè & propriè conuenit composito, quod conuenit vni parti: vt homini conuenit discernere, quia conuenit animo. Multò magis in Deo; cuius constitutio personæ est per identitatem realem conceptuum constituentium: cum ergo persona Patris constituitur per identitatem realem per rationem formalem terminandi humanitatem; Pater tam verè terminat humanitatem, quam Filius; & est vnus humanitati.

§. 26. Vidit Durandus hanc difficultatem: respondet autem in 3. dist. 1. c. 4. n. 7. in aliquo sano sensu dici posse Patrem factum hominem, & terminare humanitatem: scilicet vt est Deus. At certè in nullo sensu saniori potest hoc dici, quam aliæ hæreses. Quis enim Catholicus dixit vnquam totam Trinitatem, vt est Deus, esse hominem? Quia esse hominem vt est Deus, non tollit quo minus verè & propriè & absolutè sit homo, quemadmodum est omnipotens, & creans; non vt est Pater, aut Trinitas; sed vt est Deus: quia ratio formalis omnipotentia, & creandi est deitas; non verò relationes: identicè autem omnia sunt omnipotentia: ergo Trinitas est homo non minus quam creans.

*s. Thom.*  
9.3.4.2.

creans. Ego sanè sanum sensum huic doctrinæ minimè inuenio; vt etiam dixi §.15.

### SECTIO III.

*Opinio Dom. Soto, & Franc. Victoria.*

§.27. **P** Vasquez disp. 26. c. 2. hanc refert opinionem ex Dominico Soto, & Francisco Victoria: Natura potest considerari secundum se, & absolutè, non connotando aliquam relationem ad operationem; vt esse Deum, omnipotentem, & alia. Secundò, considerari potest non secundum se, sed cum connotatione ad proprietatem ad operationem relatiuam, vt dixi §.18. Dicunt ergo vnionem factam ad naturam non secundum se, sed vt modificata filiatione, vt est fœcunda, vt modificata paternitate. vnde non fit vnio ad totam Trinitatem.

§.28. Hęc sententia aliquantulum declinat notam erroris Durandici; non tamen planè: quia nec natura in ratione naturæ, nec in ratione existentis, nec subsistentis absolutè, connotat relationem in ordine ad operationem. Natura dupliciter connotat relationes, vel vt complementum ad existendum perfectè, & subsistendum personaliter: vel vniam relationem ad constituendam operationem cum alijs. Primo modo natura connotat tres relationes; vt humanitas connotat suum suppositum; non tamen connotat vniam relationem speciatim, ita vt constituatur ex vtraque persona vna opposita alijs: sed effectus formales naturæ sunt communes toti Trinitati; vt esse Deum, existentem, subsistentem absolutè: (in horum opinione) omnipotentem, &c. Secundo modo constituit natura vniam personam oppositam alijs: vt, Patrem fœcundum ad generationem. Hic effectus non est communis toti Trinitati; sed vis generatiua soli Patri, spiratiua autem Patri Filioque: nec vnquam est connotatio naturæ ad hypostasim, quæ sit propria ad vniam personam, nisi in ordine ad oppositionem, vt esse naturam fœcundam ad generandum connotat solam paternitatem. in quo genere prædicata hæc, *Natura, existentia, subsistentia absoluta*, nullam habent connotationem: ob quod sunt communia Trinitati: quia tres personæ sunt Deus, existens & subsistens absolutè, si datur subsistentia communis. quæ obseruari disp. 34. §. 100.

§.29. Hinc argumentor: Natura in ratione naturæ, & existentis non connotat speciatim vniam personam ad operationem relatiuam: ergo omnia prædicata intrinseca & extrinseca conuenientia Deo ratione naturæ aut existentia, conueniunt toti Trinitati. Antecedens est certum: quia tota Trinitas est Deus, & existens, & subsistens, & omnipotens; & ratione omnipotentia tres personæ sunt creantes, & ratione existentia sunt entia actu, & ratione immensitatis sunt immensæ. Consequenriam probò: quia omnia prædicata conuenientia Deo ea ratione, conueniunt ei ratione prædicati communis: vt dixi §.21. Itaque hæc sententia est speciatim impugnanda in eo quòd dicit naturam in ratione naturæ aut existentia connotare filia-

tionem speciatim. Quod est falsum, quia filiationem non connotat speciatim, nisi vt constituit cum ea personam genitam: item & simul cum Patre personam spirantem radicaliter. Recognosce disp. 34. §. 103. vnde contra hanc sententiam accipies efficacem huius argumenti confirmationem.

§.30. Dicent, ad vnionem hypostaticam exigi vnionem ad Verbum. Contrà: Etiam Durandus idem affirmat: ob quod constituit duas vniones; alteram ad naturam, seu subsistentiam; alteram ad filiationem, & sine hac censuit non esse vnionem hypostaticam: hi verò constituunt vel duas vniones, vel vniam. si duas, Durandisiant; si vniam, tenentur eodem absurdo: quia illa attingit Verbum vt est filiatio, & vt est Deus: vt filiatio, est vnio formaliter hypostatica; vt Deus, est formaliter communis Trinitati: quia vt attingit naturam vel existentiam Dei, attingit rationem communem. Recognosce argumenta contra duas vniones Durandi: sunt enim contra hanc.

### SECTIO IV.

*Opinio Nominalium.*

§.31. **N**onnulli tribuunt Nominalibus sententiam asserentem vnionem fieri immediatè ad totam personam: quia non distinguunt notiones à persona. Sed miror hoc illis imponi, quod attinet ad negandam distinctionem omnem in Deo: cum sæpè ostenderit, ab Okamo & Gabriele distingui ex natura rei naturam à personalitate. imò Gabriel in 3. dist. 1. q. 1. art. 1. toto notabili 5. expressè supponit aliquam distinctionem, cum sæpius inculcet Verbum terminare vnionem ratione subsistentia, & non ratione naturæ. Qui tamen sine eius articuli ait rationabile esse, vnionem factam immediatè ad totam personam, non ponit duas vniones, sed vniam: sicut sola persona Patris est generans ratione essentia & proprietatis. Vide in 1. dist. 2. q. 11.

§.32. Probat. quia vnio fit ad id, quod est incommunicabile vt *quo*, & *quod*: sed sola proprietates personalis non est incommunicabilis vt *quo*, & vt *quod*: quia communicatur personæ, quam constituit: ergo non terminatur vnio ad illam solam. Leuis ratio ad singularem sententiam, quam virgo eodem fundamento: Vnio fit ad id, quod supplet defectum subsistentia creatæ, & ponitur loco illius: sed hoc est sola subsistentia relatiua: ergo, Probo Minorem: quia humanitatis subsistentia est communicabilis personæ ipsi, quam constituit vt terminus naturæ: sed sola subsistentia relatiua est incommunicabilis personæ, quam constituit vt terminus naturæ: ergo vnio fit ad illam solam.

§.33. Ad argumentum Gabrielis respondeo, fieri vnionem materialiter ad totam personam, formaliter autem ad subsistentiam. Nego enim immediatè fieri ad incommunicabile vt *quod* ipsi personæ: sed ad rationem, qua persona redditur incommunicabilis alij. hoc dico ad hominem: nam absolutè vnio fit ad hypostasim subrogata pro hypostasi creatæ.